

mus in qua Luna fuerit. Vt si Luna esset in decima reuolutionis, & applicaret domino ascendenti, significaret in dominio, & magisterio.

Mars, & Saturnus in decima, mortem matri minantur.

Ascendens radicis si fuerit Medium cœli reuolutionis, significat honores.

Dominus Medij cœli in ascendente reuolutionis, significat nato annum honorificum.

Solis locus in reuolutione, præsertim diurna pensandus est. Nam non poterit quisquam eo anno honorem adipisci, in quo sol aliquo laborauerit infortunio.

Ascendens reuolutionis ad locum Solis radicis, si tale signum sit angulorum radicis, bonum erit nato à regibus, uel magnis uiris, uel parentibus suis, & si fuerit in reuolutione infortunatus, contrarium, & aduersas ualetudines significat.

Ascendens reuolutionis ad locum radicis Capitis, si caput in reuolutione ibidem fuerit, & Sol, aut Iupiter aspexerit, dicit bonam famam, & laudem natum adepturum.

Si fuerit dominus profectionis Solis infortunatus, & dominus decimæ similiter, natus non exaltabitur illo anno, imò in dignitate sua, & officio, difficultates & molestias patietur.

Vide significatorem anni, cui coniunguntur significationes, testimonia, & uirtutes anni, cuiusmodi statum habuerit in figura illius anni, & figura radicis. Si cum inueneris in ambabus figuris in bono statu, & receptum, iudica illi cuius est reuolutio, illo anno nobilitatem, & honorem bonum, & successum in suis rebus. Si in radice fuerit fortunatus, & receptus, & in reuolutione etiam, significat bonum statum, & quòd annus bonus erit, hilaris, & utilis nato. Quòd si ambas significationes in ambabus figuris inueneris, in casu, & infortunio, erit significatio mala in labore, & anxietate illo anno.

Sol ad quadratum uel oppositum ascendenti radicis, uel domini eius perueniens, significat labores, & difficultates ex parte regis, uel à patre.

Si fuerit Mars in decima domo reuolutionis, præcauendum est à casu ex alto, uel ab equo calcitroso.

XI.



VNDECIMA domus significat amicos, & socios &c. Pro quibus uide cuspides undecimæ domus, & dominos earum in ambabus figuris. Item gradum diuisionis undecimæ radicis, & eius diuisorem in ambabus figuris, illis commisce ut supra &c.

Aphorismi.

MArs, cum fuerit dominus ascendenti reuolutionis, & irradiauerit quintam, & undecimam bono aspectu, significat hilaritates, & uoluptates cum amicis & bonis fautoribus, & cum eis in quibus natus confidit.

Venus domina undecimæ in utraq; figura fortunata, idem significat.

Si fuerit Iupiter uel Venus in undecima reuolutionis, novos non obscuros amicos conciliabit sibi natus, cuius est reuolutio secundum naturam planetæ.

XII.



DODECIMA domus significat inimicos occultos, & animalia magnæ molis &c. Vide igitur cuspides huius domus, & dominos earum in ambabus figuris, & gradum diuisionis huius domus duodecimæ radicis, & eius diuisorem, etiam in ambabus figuris. Quibus admisce significationes domini anni &c. ut supra.

Aphorismi.